



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De modo orandi. Cap. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

24 HORTVS ORAT.

ne, meditatione, gratiarum actione, & petitione. Quæ sex partes, totidem huius nostri hortuli plantas constituunt, ex quibus elegantes flores & fructus decerpantur.

De prima earum iam egimus, tres posteriores in testamento siue pacto animæ cum Deo in tribus prioribus suspirijs explicabimus: De lectione & meditatione restat vt nunc agamus: De contemplatione verò nihil in hoc hortulo dicemus, sed peculiari libro de ea tractabimus, si vos filios meos in huius hortuli cultura sollicitos & diligentes animaduervero: Itaque orationem instituturi: præparatione, vt iam dictum est, præmissa: & lectione ac meditatione secundum eam methodum quam statim subiungemus confecta: & tribus prioribus testamenti præfati suspirijs adiunctis, eam ritè cõficietis, omnibusque partibus suis absolutam reddetis.

De modo orandi.

SED fortè priusquam de lectione ac

ne ac meditatione differamus, modum, situmque, ac compositionem corporis in oratione seruandam scire cupitis, vt & corpus tanquam animæ indiuiduus comes, debite præparatum & ornatum ante conspectum summi regis in oratione compareat. Ex cuius notitia multos eximij decoris flosculos colligere, atque fertum inde conficere poteritis, quod Deo Patri omnipotenti omnium rerum visibillum & inuisibillum conditori offeratis.

Quis corporis situs in oratione seruandus.

Vt itaq; huic desiderio vestro satisfaciam. Scriptura, quæ omnium actionum nostrarum certissima & doctissima magistra & directrix est, diuersos orandi modos, quibus sancti vsi fuerunt, tradit. Moyses stans, manibusque in cœlum sublatis orauit. Salomon genubus in terram fixis, brachijs expansis, vultuque ad terram inclinato. S. Maria Magdalena toto corpore in terram prostrata, pedes dulcissimi magistri sui IESU Christi lachrymis rigauit,

Luc. 7.

uit, capillis extēdit, crebrisq; osculis deosculata est. Eadē Magdalena

Luc. 10.

sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Dominus noster I E S V S

Matth. 26.

Christus passioni vicinus, & summis in afflictionibus genibus in terram positus, Patrem precatus est. Idem in Cruce toto corpore & manibus extensis orauit. Demum SS. Apostoli in die Sanctissimæ Ascensionis stantes facie ad coelum directa, precati sunt.

Ex diuersimoda hac corporis compositione facile animaduertere poteritis, quis corporum situs in oratione seruandus sit: Omnes namque iam dicti modi boni & sancti sunt, eò quòd sacris literis exprimentur, nec mihi quis illorum melior sit temere statuendū est. Quamuis in confesso sit genuflexionem ac in terram prostrationem humilitatis ac submissionis, quæ animam precibus incumbentem, mirum in modum venustant & ornant, indicium esse: maiorumque erga Deum qui ab omnibus simul creaturis nūquam

quam satis honorari, reuereri & coli potest, reuerentiam demonstrare: proximusq; ad Domini nostri IESU Christi, ad cuius mores effingendos atque exprimendos totis viribus laborare debemus, imitatione accedere: qui in horto summis in angustijs & agonia constitutus, profunda cum humilitate ac reuerentia in terram prostratus Patrem deprecatus fuit. Pater, ait, si possibile est transeat à me calix iste.

Genubus flexis orare maioris est reuerentiae, proximusq; ad modum orandi Christi accedit. Matth. 26.

Vt itaque illius quoad fieri potest, filioli mei, vestigijs inhæreatis, hunc in orationibus vestris corporis situm seruare poteritis. Primum genua humiliter flectere, deinde terra ter in honorem Sanctissimæ Trinitatis osculata, caput ad coelum erigere, & oculos ad imaginem aliquam vel Christi in Cruce pendentis, vel B. MARIAE Virginis, vel Sancti alicuius: aut certè ad coelos conuertere.

In Ecclesia verò existentes, primum capite trinam SS. Eucharistiæ Sacramento reuerentiam exhibere, deinde

K

deinde oculis ad sanctissimum tabernaculum, in quo nostri amore Dei filius corporaliter conclusus est intentis: mente eleuata & alacri considerare, quid facturi & cum quo sermonem habituri sitis. Perpendere deinde ibi Deum non modo quoad essentiam & potentiam, verum etiam quoad corpus presentem esse, cum sub hoc Sacramento verum Christi Dei filij corpus, & verus sanguis contineatur: In hoc consideratione paulisper immorando vos ipsos ad deuotionem & reuerentiam excitabitis.

Luc. 18.

Quo facto signo Sanctæ Crucis ter vos signabitis, & pectus tertio tundetis, dicendo: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

Mox gratiam & auxilium implorabitis, quo hanc orationem ea cum deuotione, reuerentia & attentione qua par est, ordiri & absoluere possitis. Rogabitis etiam ut in omnibus, quæ tum pro vobismetipsis, tum pro alijs viuis & defunctis postulaueritis, clementer vos exaudire dignentur.

PARS SECUNDA. 219

Posthæc in adiutorium omnes
Angelos & Sanctos aduocabitis:
speciatim Angelum custodem, &
inlytam Angelorū & Sanctorum
omnium Reginam B. Virginem
MARIAM, & IESVM filium eius:
super omnia verò Sanctissimam
TRINITATEM, Patrem: Filiū: &
Spiritus Sanctum: recitando hunc
Psalmum. *Inclina Domine aurem tuam,*
& exaudi me, quoniam inops & pauper
sum ego. *Psalm. 85.*

Denique corde aut ore hæc suspi-
ria subiungetis: O IESV. O IESV.
O IESV. IESV dulcis, IESV
suavis. IESV Pater benignissime.
IESV mei amantissime. IESV to-
tus amabilis & gratiose. IESV ple-
ne omni dulcedine & suavitate. O
IESV amor meus. IESV spes mea.
IESV vnicum desiderium cordis
mei. Hæc & similia suspiria, quo-
rum plura, Deo iuuante, facile repe-
rietis si frequentaueritis (credite
mihi) felicem & optatum exitum
habebit oratio vestra, quia sanctif-
simum hoc nomen: Est mel in ore,

K 2 & iu-

& iubilus in corde. Ac reuerenter ruminatum ac prolatum, immensam dulcedinem ac suauitatem secum adducit.

His peractis hac orationem adijcere poteritis.

Actiones nostras quaesumus Dominus aspirando praeueni, & adiuuando prosequere: ut cuncta nostra oratio & operatio, à te semper incipiat, & per te coepta finiatur. Amen.

DE LECTIONE.

CAPVT IIII.

PRAEMISSA hac praeparatione sequatur lectio, quae varia secundum materiei meditandae diuersitatem erit. Aliquando de morte, nonnunquam de purgatorio, quandoque de inferno, aliàs de caelesti gloria, aliquando de vita Iesu Christi.

Ego verò, quamuis tota Christi vita